



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 43. Cicadæ Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

tia terræ mandatum est. Scripsit plu-
res epistolas, orationes latinas æque,
ac Italas, necnon tractatum *de sublimi
dicendi genere*: erexit insuper Patavii Col-
legium pro duodecim nobilibus Vene-
tis, quibus annuatim pro congrua susten-
tatione sexaginta aurei, seu *Ducati* di-
stribuerentur.

§. XLIII.

Cicadae Cardinalis extrema.

Inter Cardinales hoc anno defunctos
tertius erat Joannes Baptista Cicada
Genuensis die vigesima septima Martii
Anno Incarnationis Dominicæ millesi-
mo quingentesimo decimo natus, qui
Patrum habuit Eduardum Sagonen-
sem Episcopum in Insula Corsica, cu-
jus Episcopatus a Piratis devastatus Cal-
vium fuit translatus. Ceterum Cicada
totum literarum studium percurrens, ac
civilis, & Canonice jurisprudentiæ
scientia clarus regnante Paulo III. Ro-
mam venit, a quo utriusque Signatu-
ræ Referendarius, & postea Anno Do-
mini millesimo quingentesimo trigesimo
nono Petro Paulo Parisio ad Cardinala-
tum evecto ærarii Pontificii Præfectus,
necnon Cameræ Apostolicæ Auditor
creatus est, in quo munere tum Vica-
rium habuit Hugonem Boncompagnum,
dein Cardinalem, ac demum summum

Sæcul. XVI
A.C. 1570.

*Cicon.
pag. 779.
Uvert. Fol.
in elog.
Claror Li-
gurum
Aubery l.c.*

Sæcal. XVI. Pontificem: itaque per tot officiorum
A. C. 1570. gradus Cicada ad Albinganensem Epi-
 scopatum inter Liguriæ fines situm
 ascendit, qua dignitate ab Anno Christi
 millesimo quingentesimo quadragesimo
 quarto usque ad annum post partum
 Virginis millesimum quingentesimum
 sexagesimum fruebatur. Interfuit
 etiam Concilio Tridentino, Anno au-
 tem Redemptoris nostri millesimo quin-
 gentesimo quinquagesimo primo a Ju-
 lio III. Cardinalibus Presbyteris titulo
 sancti Clementis adscriptus Legationem
 in Campania obiit, ubi eidem tanquam
 Pro - Legatus adjungebatur Boncom-
 pagnus: dum vero Pius V. denique ad
 Pontificatum assumptus fuit, tunc Ci-
 cada ad Synodi decreta discutienda,
 atque effectui mandanda nominabatur,
 ubi simul Præfectus sacræ Inquisitionis
 renuntiabatur: insuper ejus opera selige-
 batur pro componendis dissidiis Papam
 inter, & Maximilianum Cæsarem exor-
 tis ob jusjurandum, quod Papa ab
 hoc Principe exigere nitebatur. Rexit
 etiam plures Ecclesias, ac præprimis
 Sabinensem, fuitque Religiosorum Mon-
 tis Oliveti Protector: postquam vero
 Marcelli II. Pauli IV. Pii IV. & Pii V.
 electionibus interfuerat, mane die Sab-
 bati duodecima Aprilis mortuus est, se-
 pultus

pultusque in Ecclesia sanctæ Mariæ de Sæcul. XV.
A.C. 1570.
Populo.

§. XLIV.

Francisci Pisani Cardinalis mors.

Quartus erat Franciscus Pisanus pa- Caton.
pag. 412.
Bembo epi.
l. 15. ep. 39.
tria Venetus, ac propterea Car-
dinalis Venetus appellatur. Is erat Fran-
cisci Aloysii Pisani Divi Marci Procura-
toris Filius, qui ad Leonardi Laure-
dani Veneti Ducis preces a Leone X. ju-
venis adhuc Romanam Purpuram ob-
tinuit, cum antea Protonotarius Apo-
stolicus esset: dein vero sacri Col-
legii Decanus evasit, ubi subinde Al-
banensem, Tusculanum, Portuensem, &
Ostiensem Episcopatum rexerat: demum
per quinquaginta tres annos Cardinali-
tia dignitate conspicuus Patavinam Ec-
clesiam gubernans illam a fundamentis
extruxit, atque Marcellum II. & Pau-
lum IV. coronavit: anno autem millesi-
mo quingentesimo vigesimo septimo, quo
Cælarei Romanam urbem occupabant,
fidem suam Clementi VII. constanter
exhibuit, atque unacum illo sese in arce
sancti Angeli inclusit, usquedum de
concordia actum esset: cum autem se
obsidem offerret, Neapolim abductus,
ibidem in arce octodecim Menses hæsit:
porro Turcis Venetorum Reipublicæ
bellum denuntiantibus, eidem quatuor